



**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii
Apostolici, Olim S. Congregationis Indicis Consvltoris, &
insignis Ecclesiæ Vimaraneſis Theſaurij maioris, Demvm
Episcopi Vgentini, Et A Consiliis ...**

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1655

Formulæ aliquot circa erectionem Ecclesiarum Parochialium, ac
electionem, & collationem Parochorum ritè, & rectà faciendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98569](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98569)

nis cum facultate ponendi Vicarium amouibilem, & decreto irrucandi requiri immemorabilem.

Supereft vt post Parochorum Canonicam electionem, & collationem modo relato factam, deueniatur ad Parochialis Ecclesiæ possessionem, cuius formulam posuimus hoc eodem cap. form. 13. Censeretur autem acquisita, & probata possessio illius per exercitium curæ animarum, & spiritualium actuum ad Curatum pertinentium, & per actus diuinorum Officiorum, ac per administrationem temporalium. Ferret. conf. 2. sub num. 7. Menoch. remed. 3. retin. num. 186. Mascard. de probat. conclus. 1180. num. 10. Rot. decis. 560. sub. num. 4. part. 2. recentior. Caualer. decis. 609. num. Atque per perceptionem fructuum, decimarum, primitiarum, & oblationum. Rot. d. decis. 560. sub n. 4. part. 2. recentior. refert Ludou. Posti. in tract. mandat. de manutenendo obseru. 30. n. 1.

Sequuntur aliquot formulæ circa erectionem Ecclesiarum Parochialium, ac electionem, & collationem Parochorum ritè, & rectè faciendam admodum utiles, & necessaria.

FORMVLA I.

Erectionis Parochialis Ecclesiæ cum vnione beneficij simplicis.

D Rodericus à Cunha, Dei, & Apostolica Sedis gratia Archiepiscopus, ac Dominus Bracharæ, Hispaniarumque Primas, &c. Vniuersis, & singulis has præsentis nostras litteras inspecturis, visuris, lecturis, pariterque auditoris, Salutem in Domino. Significamus qualiter in generali visitatione per nos facta in dicta nostra Ciuitate, & Diocesi Bracharensi reperimus, quod in loco N. nuncupato eiusdem Diocesis, non aderat Ecclesia Parochialis, vbi populus, & Christi fideles ibi commorantes sanctissima Sacramenta, iuxta temporis opportunitatem recipere potuissent, quando ipsa Sacramenta erant ministranda tempore indigentis, ab Ecclesia N. per vnum milliarium distantia recipiebant per Presbyterum non certum, nec proprium Parochum pro Rectore Ecclesiæ N. longius distante, cuius erant Parochiani, non sine ipsarum animarum periculo, ac proinde ob carentiam Ecclesiæ Parochialis, Parochi, & Curati in dicto loco N. qui continuò apud eos persisteret, eisdemque Sacramenta omnia opportunis temporibus ministraret, Mis-

Barbos. de Paracho. Pars. I.

sasque ac alia diuina Officia Dominicis, & festiuis diebus celebraret, aliquando accedebant ad Ecclesiam prædictam N. & non ad propriam, & multoties occurrebat omitti præceptum de audienda Missa in dictis diebus Dominicis, & festiuis, & non semel dicti loci habitatores absque Ecclesiæ Sacramentis ob prædictam causam, & loci distantiam moriebantur. Propterea attendentes nos saluti animarum, prout possumus, consulere, & scandalis occurrere, quæ pro dictis causis oriri in dies potuissent, accedente etiam consensu, & beneplacito ipsorum huiusmodi dicti loci, qui etiam nos humiliter supplicarunt, & maxima cum instantia requisierunt pro erectione, & deputatione Ecclesiæ Parochialis in dicto loco pro eorum salute, & commoditate, cum deputatione alicuius Sacerdotis Parochi, obligantes se etiam penes acta Curia Camera- lis nostræ ciuitatis Bracharensis vnusquisque ipsorum ad dandam, & consignandam quandam pecuniarum summam, & certam vini, & frumenti quantitatem dicto Paracho, vt commodè sustentari possit Ideò inuocato ad hoc Domini nostri IESV CHRISTI nomine, eiusque Matris Virginis semper Mariæ, & Sanctorum N. & N. Patronorum ciuitatis, & Diocesis nostræ auxilio, per renorem præsentium erigimus, statuimus, eligimus, & deputamus in Parochiam Ecclesiam sancti N. existentem in medio dicti loci N. in qua, cum fuerit accommodata, & bene apta, & referata, volumus, & mandamus deponi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, fontem baptismalem, & alia, quæ ad Ecclesiam Parochialem pertinent, quæ omnia Sacramenta iuxta opportunitatem temporis ministrari volumus, & mandamus ipsis dicti loci N. per Sacerdotem, & Parochum per nos, & successores nostros pro tempore existentes eligendum, & deputandum, qui etiam Missas in Ecclesia prædicta diebus Dominicis, & festiuis celebrare debeat, & teneatur. Declarantes etiam ex nunc in antea, & in perpetuum edictam Ecclesiam S. N. in medio dicti loci N. existentem esse Ecclesiam Parochialem, & curatam, electionemque, & deputationem Parochi, & successorum in futurum pro cura animarum fidelium in dicto loco existentium spectare, & pertinere ad nos, & successores nostros pro tempore existentes, & ad meram collationem, & prouisionem nostram Ordinariam, nulli iurispatronatus seruituti subiectam, ad ipsosque Parochos spectare, & pertinere omne id totum, & quicquid per homines dicti loci N. vt supra Parochianos, permissum extitit, & sic prænominatam obuentionem, ac omnes alias eleemosynas pro tempore in dicta Parochiali Ecclesia S. N. prouenientes; quia tamen red-

D ditus

ditus huiusmodi sunt adeo tenues, ita ut non sufficiant pro congrua Parochi sustentatione, idcirco ad illius commoditatem, & aliorum pro tempore in dicto loco existentium, beneficium simplex sine cura, sancti N. nuncupatum, in loco N. huius diocesis existens, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, vniamus, annectimus, & incorporamus dictae Parochiali Ecclesiae S. N. ita ut ex nunc prout ex tunc, fuerit, & sit dictum beneficium simplex, & Ecclesia ubi illud existit cum iuribus, fructibus suis omnibus, redditibus, & obventionibus incorporata, unita, & aggregata praedictae Ecclesiae Parochiali S. N. Concedentes Parocho ipsius, qui pro tempore erit, liberam, & plenariam potestatem, quod possit per se, vel per procuratorem suum nomine suo, & dictae Ecclesiae S. N. auctoritate huius unionis apprehendere corporalem possessionem ipsius Ecclesiae, cum iuribus, & pertinentiis suis, ipsamque tenere, & possidere nomine dictae Parochialis perpetuo unitam, & incorporatam pro euidenti utilitate, & augmento dictae Parochialis Ecclesiae sancti N. ac ipsius Parochi. Quam quidem unionem, incorporationem, & aggregationem supra factam, ratam, gratam, & firmam habentes, & tenentes, ipsamque omni tempore promittentes non reuocare, nec contrahere quoquo modo de iure, vel de facto. Ut autem praedictam Parochialem Ecclesiam sancti N. sic de nouo erecto de idoneo Rectore quamprimum, ut decet, provideamus, nos pro exercitio curae in populum, & vtriusque sexus homines in dicto loco habitantes, nominamus, & deputamus dilectum nobis in CHRISTO N. Presbyterum, qui populo, & Ecclesiae praedictis in Diuinis, & animarum cura regenda praesit, tanquam habilem, & idoneum per R. R. Patres examinatores in Synodo Diocesana deputatos repertum praeficiemus, illique curam, regimen & administrationem Sacramentorum pro populo, & inha-bitatoribus dicti loci committimus, ac eidem de praefata Ecclesia sic nouiter erecta provideamus, Mandantes, &c. In quorum fidem, & testimonium, &c. Dat. &c.

Vbi ob locorum distantiam sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina Officia audienda Parochiani accedere non possunt, concedit Concil. Trid. sess. 21. de reformat. cap. 4. vers. in iis, Concil. Bracharenf. IV. act. 4. cap. 26. auctoritatem Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicae delegatis, assignata Presbyteris praeficiendis Ecclesiis nouiter erectis congrua portione ex fructibus Ecclesiae Matris, & si necesse fuerit compellendi populum, eam subministrare quacunque reservatione generali, vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus.

FORMVLA II.

Erectionis nouae Parochialis cum dismembratione alterius.

DRodericus, &c. Vniuersis, & singulis praesentes literas inspecturis, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Circa Ecclesiarum, & locorum statum salubriter dirigendum, & iuxta Pastoralis officij nostri debitum in his eis libenter assistimus, per quae animarum occurritur periculis, & personarum commoditatibus prouidetur, quemadmodum Ecclesiarum ipsarum necessitas exigit, causae suadent rationabiles, Catholici populi incrementum exposcit, quatenus Ecclesiarum earumdem status immutetur, seu in melius reformetur, prout rerum, temporum, & locorum circumstantiis pensatis id cognoscimus in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte incolarum, & inhabitatorum loci N. nostrae Diocesis, qui sub Ecclesia Parochiali sancti N. existit, nobis expositum fuit lamentabili cum querela, quod flumen N. inter dictum locum, & praefatam Parochiam mediat, quod rapido decursu praesepè labitur, multa pericula ipsis inhabitatoribus dicti loci ad eorum Matricem Ecclesiam diebus Dominicis, & festiuis nauigio tendentibus saepenumero obuenerunt, plures ex ipsis repetitis vicibus submersi sunt, etiam cum funeribus versus dictam Ecclesiam nauigio delati, nonnulli ex ipsis Sacramenta Ecclesiastica desiderantes, sine ipsis ab hac vita plerisque vicibus decesserunt, ac interdum in festo Natiuitatis Domini nostri IESU CHRISTI cum tribus diebus sequentibus nullus de dicto loco propter inundationem aquarum intermediarum, & ventorum, ac aliarum tempestarum abundantiam ad Ecclesiam peruenire poterat: ac multò plura his similia ipsis contigissent. Nec etiam Vicarius perpetuus dictae Parochialis Ecclesiae S. N. consentire voluit, ut alius Sacerdos ipsis incolis dicti loci N. in Capella sancti N. notabiliter constructa, & fundata Missam celebraret. Et quoniam Prior, & Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae Vimaranae, quibus dicta Ecclesia Parochialis incorporata dicitur, tantum haberet in decimis, redditibus, & censibus, quod si separatio, seu dismembratio dictarum Ecclesiarum fieret, ut praefertur, bene ipsis superesset, unde eorum Vicario perpetuo deputando congrua fieret prouisio; petentes propterea dismembrationem, seu separationem dictae Ecclesiae, quodque ipsis Sacramenta Ecclesiastica in Capella eorum ministranda essent, de cætero ordinari, & Sacerdotem ipsa Sacramenta populo ibidem ministrantem, ac cimiterium pro mor-

tuis

tuis eorum tumulandis deputari humiliter postularunt, officium nostrum in, & super præmissis implorantes. Nos igitur de præmissis diligenter inquirere volentes, dilecto nobis in CHRISTO R. Abbati N. dedimus in mandatis, vt ad dictum locum accedere vnà cum Notario publico, ac super propositis, & gestis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis, supra dictis inquireret veritatem, vt in literis nostris desuper confectis, & eidem præfentatis plenius continetur. Præsentata deinde nobis inquisitione facta vnà cum attestacionibus testium per eundem R. Abbatem, coram N. nostræ Curie Notario iurato, receptorum, iuratorum, & examinatorum, ac ex relatione dicti R. Abbatis inuenimus, præmissa omnia, & singula non solum veritate fulci, sed & (proh dolor!) euidentis facti illa, & multo maiora, quæ merito nos ad dismembrationem, seu separationem vnus Ecclesiæ ab alia inducunt, & præsertim animarum pericula, viarum discrimina, personarum necessitas, & incommoda, ab omnibus, & singulis eiusdem loci notitiam habentibus fore, & esse adeo publica, & notoria, quod nulla tergiversatione celari possit. Idcirco dictum locum N. cum suis hominibus, incolis, & vniuersitatibus, à Parochia dictæ Parochialis Ecclesiæ Sancti N. auctoritate nostra Ordinaria, & à Sede Apostolica delegata separauimus, diuisimus, & dismembrauimus, & futuris temporibus dismembratas, separatas, & diuisas esse volumus, dictam Capellam Sancti N. cum suo loco, & districtu, vsque ad... in Parochialem Ecclesiam erigentes, constituentes, & ordinantes, dantes, & concedentes vniuersitati, & incolis, ac habitatoribus dicti loci, & sui districtus, plenam & liberam potestatem apud dictam Parochialem Ecclesiam Sancti N. cæmeterium, fontem baptismalem, campanile, campanas, & alia iura, & insignia Parochialem Ecclesiam demonstrantia ædificari, & construi faciendi. Et nihilominus pro exercitio curæ in populum, & vtriusque sexus homines in dicto loco, & districtu habitantes faciendo, dilectum nobis in CHRISTO N. Presbyterum, qui populo, & Ecclesiæ prædictis in Diuinis, & animarum cura regenda præsit tanquam habilem, & idoneum à RR. Patribus examinatoribus in Synodo Diocesana deputatis examinatum, & approbatum præficimus, & deputamus, illique curam, regimen & administrationem Ecclesiasticorum Sacramentorum pro populo, & inhabitatoribus dicti loci, & districtus committimus, ac eidem de Ecclesia sic nouiter erecta provideamus. Volentes, & mandantes Priori, Canonicis, & Capitulo insignis Ecclesiæ Vimarane-sis prædictis pro tempore existentibus, quatenus de cætero singulis annis in festis Natiui-

Barbo. de Parocho. Pars I.

tatis Domini nostri IESU CHRISTI, & S. Ioannis Baptistæ, de vniuersis fructibus decimalibus, quos ipsi infra limites dicti loci percipiunt, quinquaginta medios farraginis, & milij, triginta frumenti, ac vigenti scuta moneta, quæ omnia eidem N. vt Curato, & suis in dicta Ecclesia Curatis, & successoribus Ecclesiæ prædictæ nouæ per nos erectæ vnà cum legatis, oblationibus, & aliis Ecclesiasticis obventionibus ipsi Ecclesiæ Parochiali nouæ cedentibus, & fiendis pro ipsius noui Curati sustentatione deputamus, & ordinamus, perfoluere habeant, & teneantur, & debeant cum effectu omnibus aliis iuribus, ipsis Priori, Canonicis, & Capitulo permanentibus; & illis saluis, & vt honor competens dictæ insigni Ecclesiæ Vimarane-si in dicta noua Parochiali Sancti N. reseruetur, Prior, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ huiusmodi pro tempore existens ad nouam Ecclesiam prædictam, quoties ipsam de cætero per cessum, aut decessum dicti Curati, & illius successorum vacare contigerit, personam habilem, & idoneam infra tempus à iure statutum coram nobis, & nostris pro tempore successoribus per nos instituendam, præsentabunt, quæ sic instituta in ipsa noua Ecclesia, Papalia, Episcopalia, ac alia iura, & onera eidem incumbant sine Prioris, Canonicorum, & Capituli prædictorum, ac alterius cuiuscumque præiudicio supportabit, sustinebit, & subibit, ac sustinere sit adstrictus. Volentes nihilominus, & statuantes, vt omnes, & singuli vtriusque sexus homines dictæ Ecclesiæ nouæ subditi, ætatem legitimam habentes, qui Sacramento sanctissimæ Eucharistiæ annuatim eomunicari consueuerunt, & apti sunt, annis singulis in festo Ascensionis Domini prædictam Matricem Ecclesiam processionaliter visitare, & in signum recognitionis singuli vnum denarium argenteum ad Altare inibi offerre, & in processionibus aliis eandem Matricem Ecclesiam ad consueta loca processionum temporibus fieri consuetis, associare debeant, & teneantur. Quæ omnia, & singula nos Rodericus Archiepiscopus præfatus ex certa scientia, auctoritate nostra Ordinaria, & à Sede Apostolica ex decreto Concil. Trident. delegata, & omnibus melioribus modo, via, iure, causa, & forma nobis de iure permissis, statuimus, ordinamus, ab omnibus, quorum interest, vel intererit, quosque præfens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obseruari volumus, & præcipimus. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Quia Episcopus statim habita notitia vacationis Parochialis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere debet, qui onera

D 2 ipsius

ipsius Ecclesia sustineat, donec de Rectore provideatur, ut statuit Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 18. Ille igitur constituendus erit in hunc, qui sequitur, modum.

FORMVLA III.

Deputationis Vicarij ad Parochialem vacantem donec de Rectore provideatur.

D Rodericus, &c. Dilecto nobis in CHRISTO Presbytero N. Salutem in Domino. Parochiali Ecclesia S. N. loci N. vacante, ne ob id animæ dicti loci in Sacramentorum susceptione, & ceteris spiritualibus adiumentis detrimentum sentiant, illi de Sacerdote providere volentes, qui hæc omnia ministraret, agatque, cognita per examen coram nobis ab examinadoribus factum sufficientia tua, te Vicarium ipsius Ecclesie S. N. constituimus, & deputamus, cum auctoritate Missas, & alia divina Officia celebrandi, Sacramenta ministrandi, & alias Ecclesiasticas functiones obeundi, ad quæ tenetur, & quæ animarum quilibet Rector, & administrator præstare, & obedire solet, cum congrua portione fructuum dictæ Parochialis tibi debito tempore assignanda, præsentibus usque eo duraturis quousque de perpetuo Rectore à nobis (vel à Sede Apostolica, si mensis sit Apostolicus) provisum fuerit. In quorum testimonium, &c. Dat. &c.

Qua Vicarij deputatione facta donec de Rectore provideatur, debet statim fieri deputatio alia depositarij, & exactoris bonorum Ecclesie vacantis in hunc qui sequitur, modum.

FORMVLA IV.

Literarum deputationis depositarij, & exactoris bonorum Ecclesie vacantis.

D Rodericus, &c. Magnifico N. Salutem in Domino. Consuevimus sæpè pro rebus Ecclesiasticarum administratione, præsertim temporalium, opera laicorum virorum prudentia, & pietate maximè prælucentium, in huiusmodi uti, quo rebus Ecclesiasticis commodius, & tutius consultum sit. Vacante igitur Parochiali Ecclesia S. N. loci N. huius Diocesis, tua prudentia, & singulari pietatis plurimum freti, te in exactorem, & depositarium quorumcumque fructuum, reddituum, prouentuum, & obventionum ad dictam Parochialem quomodolibet spectantium tam hæcenus perceptorum, & maturatorum, quam etiam in futurum similiter maturan-

dorum, ita ut contra quoscumque pro exigendis, & consequendis fructibus huiusmodi, etiam iuris omnibus remediis, atque aliis modis, & formis, prout tibi melius videbitur, cum facultate etiam ab aliis quibuscumque depositariis rationem deposcendi, agere possis, & valeas, deputamus, donec aliud per nos super administratione huiusmodi expressè decretum fuerit, nec non bona, possessiones, ac iura novis colonis locandi, veteresque confirmandi, prout melius expedire censueris, servatis in his tamen solitis, ac debitis conditionibus, fructusque per te sic exactos in depositum habeas, nobis, vel cui à nobis iniunctum fuerit, rationem suo tempore redditurus. In quorum fidem, &c.

Porro Episcopus, vel eius Vicarius generalis intra dies decem à die habite notitie vacationis Ecclesie, debet convocare omnes, qui se examini per concursu subijcere voluerint, proposito edicto ad valuas Cathedralis, & vacantis Ecclesie, aliisque publicis locis, si videbitur, hac forma.

FORMVLA V.

Edicti de examine eorum, qui Ecclesie Parochiali præficiendi sunt.

D Rodericus, &c. Vacante Parochiali Ecclesia Sancti N. nostræ Diocesis, cupientes eidem de idoneo providere Rectore, atque sacri Concilij Tridentini decreta pro viribus, Deo adiuvante, exequi, tenore præsentium requirimus, & monemus, primò, secundò, tertio, & peremptoriè omnes, & singulos Presbyteros, & Clericos volentes ad examen per concursum faciendum se præsentare, ac omnes volentes Clericos ad id aptos nominare, quatenus infra decem dies proximè futuros à die affixionis præsentis edicti computandos, debeant in actis Notarij infra scripti N. nostræ Curie describi facere eorum nomina, ætatem, & patriam, ut de eorum natalibus, vita, & moribus, ac aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis iuxta decreta dicti S. Concilij inquiri, & transacto constituto tempore examinari possint coram nobis, ac examinadoribus in Synodo Diocesana deputatis, ut ex iis, quos confecto examine, ætate, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad curæ animarum bene gerendæ, rationem opportunis idoneos esse compertum erit, nos quem ceteris magis idoneum censuerimus, illum Ecclesie vacantis Rectorem, Parochumve eligamus, ac præficiamus. Quod sanè sicut nos pro eo quod debemus integrè, sanctèque in Domino præstare cupimus, ita omnes, præcipueque illos, quorum Ecclesie, & curæ spirituali per

nos

nos conscribendum, ac providendum est, magnopere hortamur, ac requirimus, ut hanc nostram sollicitudinem, postoraleque studium, omni supplicatione, omnique intima pietate, ac religiosi precibus continenter adiuvent. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

FORMULA VI.

Fidei examinis, & approbationis ad Parochialem vacantem.

D Rodericus, &c. Vniuersis, & singulis ad quos presentes literas peruenerint, indubitam fidem facimus, & attestamus, quod cum Parochialis Ecclesia Sancti N. nostrae Diocesis, quam Presbyter N. dum viueret, obtinebat, per ipsius obitum, qui de mense N. praesentis anni extra Romanam Curiam diem suum clausit extremum, vacauerit, & vacet ad praesens, cumque occasione vacationis huiusmodi per publica edicta vocati sint, qui examinari vellent, iuxta formam sacrosancti Concilij Tridentini. Nos una cum tribus examinatribus in Diocesana Synodo deputatis, & electis, Presbyterum N. huius Diocesis transacto tempore inter alios plures examinauimus, ipsumque ad praefatam Ecclesiam regendam, gubernandam, & obtinendam moribus, aetate, doctrina, & aliis rebus ad id opportunis magis idoneum iudicauimus, & approbauimus. In quorum fidem praesentes literas manu nostra subscriptas, & nostro sigillo obfirmatas fieri iussimus, & ab aliis examinatribus subscribi curauimus. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

FORMULA VII.

Fidei examinis, & approbationis in concursu, & electionis ad Parochialem vacantem in mense Apostolico.

Illustrissimo, & Reuerend. Domino S. D. N. Datario, & quibuscumque praesentes literas inspecturis, lecturis, seu visuris significamus, vacante nuper de mense N. proximè præterito Parochiali Ecclesia, Abbatia nuncupata, sub inuocatione Sancti N. loci N. huius Bracharensis Diocesis per obitum N. fuisse per Curiam nostram mediantibus edictalibus iuxta formam, & praescriptum S. Concilij Tridentini, & constitutionis felicitis record. Pij Papæ V. vocatos omnes de sic vacante Ecclesia prouideri volentes, quatenus intra terminum decem dierum comparent in eadem Curia ad faciendum describi, & annotari nomina ipsorum, & cum in eodem termino multi comparuissent, tandem iisdem descriptis legitime

Barbos. de Paroch. Pars I.

vocatis, & citatis, sub die... praesentis mensis sis coram nobis rigorofo prauio examine per tres examinadores in Diocesana Synodo deputatos factam fuisse experientiam de scientia, & sufficientia singulorum descriptorum, ac demum seruatis de iure seruandis per dictos tres examinadores fuisse repertum, habitum, & existimatum idoneum, vita, moribus, aetate, scientia, & aliis à iure requisitis ad obtinendam à Sede Apostolica dictam Parochialem Ecclesiam N. Sacerdotem loci N. huius Diocesis, & tanquam habilem, & idoneum approbatum, & successiue à nobis post examen, & approbationem praedictam, fuisse magis idoneum reputatum, & iudicatum, & ut talem pro obtinenda dicta Parochiali Sedi Apostolica proponendum, & approbandum, prout proponimus, & approbamus. (*declaratur hic an alia obtineat beneficium*) In quorum fidem praesentes literas subscriptione, & sigill. nostris munitas fieri iussimus. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

In beneficio de iure patronatus fit à patrono praesentatio intra tempus à iure statutum coram Episcopo de persona in tali beneficio seruatis seruandis, ab eo instituenda, Episcopus verò generaliter in vacanti Ecclesia, & aliis locis publicis edicta publice proponi iubet, ut qui sint, qui se velint opponere, compareat, assignato peremptorio termino competente, ut iure probatur in cap. ult. de elect. lib. 6. quod in praesentatione locum habere, nisi consuetudo sit in contrarium, tradunt gloss. ibi, verb. electionem. Pute. decis. 297. lib. 1. & decis. 473. lib. 2. in correctis. Lotter. de re benef. l. 2. q. 13. n. 30.

FORMULA VIII.

Edicti assignandi facta coram Episcopo praesentatione de beneficio iuris patronatus.

D Rodericus, &c. Vniuersis, & singulis hoc praesens edictum inspecturis, visuris, & audituris pariter, & lecturis, Salutem in Domino. Nuper vacante Parochiali Ecclesia S. N. per obitum N. ultimi, & immediati Rectoris eiusdem, comparuit coram nobis N. laicus nobili Bracharensis, afferens se patronum, & habere ius patronatus, seu esse in quasi possessione ipsius, & iuris praesentandi Rectorem ad dictam Ecclesiam cum illam vacare contigerit, & sic praesentauit nobis in Rectorem R. N. petens illum à nobis institui. nos dictam praesentationem sic coram nobis factam de dicto R. N. infra tempus à iure patronis laicis datum ad praesentandum de praedictis veram notitiam non habentes admisimus, si & in quantum. Quare tenore praesentis nostri edicti requirimus, & mo-

D 3 nemus

nemus omnes, & singulos aliquod ius, vt præsentantes, vel vt præsentati prætendentes, in prædictis, vel contra dictam præsentationem, & personam præsentantis, seu præsentati, opponere volentes, quomodolibet sua interesse putantes, quatenus infra terminum novem dierum, quorum tres pro primo, tres pro secundo, & reliquos tres pro tertio, & ultimo peremptorio termino eis, & cuilibet ipsorum assignamus, comparere debeant coram nobis ad dicendum, opponendum, & allegandum quicquid dicere, vel allegare voluerint, quare non debeat procedi ad petitam institutionem, vigore dictæ præsentationis coram nobis factæ: alioquin dicto termino elapso, & aliquo non comparente, & legitimè se non opponente procedetur per nos iuribus præsentantis, & præsentari valentibus, & ipsius præsentati meritis requirentibus ad eius institutionem, prout iuris fuerit, non obstante, quòd detempore dato ad præsentandum superfit, vt de præmissis nullus ignorantiam allegare possit, hoc præsens publicum, & generale edictum per infra scriptum Cameræ nostræ Notarium describi fecimus, & sigillo nostro muniuimus, & per Nuncium nostræ Curia ad valuas Ecclesiæ Metropolitanæ Bracharensis, & dictæ Ecclesiæ Sancti N. legi, affigi, & dimitti fecimus, à nemine auferendum, sub excommunicationis pœna, nisi per eundem nostrum Nuncium. Dat. Bracharæ Augustæ, in Archiepiscopali Palatio, die.... mens.... ann....

FORMVLA IX.

Institutionis Ecclesiæ Parochialis de iure patronatus.

DRodericus, &c. Vniuersis, & singulis .has præsentantes nostras institutionis literas inspecturis, visuris, & lecturis, tam præsentibus, quàm futuris, Salutem in Domino. Notum facimus, & attestamus, quod vacante Parochiali Ecclesiæ Sancti N. loci N. huius nostræ diocesis per obitum N. illius dum viueret vltimi, & immediati possessoris, quæ de iure patronatus infra scripti patroni laici existit. Comparens postmodum coram nobis, & in nostra Curia N. Clericus N. asserens se fuisse præsentatum à patrono dictæ Parochialis, & ius patronatus in ea habente, & existente in pacifica possessione, seu quasi, præsentandi Rectorem, siue Rectores in eadem Parochiali toties quoties casus vacationis occurrerit, petens à nobis ordinario iure institui, & confirmari in Rectorem dictæ Parochialis cum honoribus, & oneribus solitis, & consuetis: & volentes in præmissis maturè procedere, quoddam generale edictum ad instantiam prædicti N.

expediri, & ad valuas Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & dictæ parochialis affigi, legi, & dimitti iussimus, per quod citari & moneri fecimus omnes, & singulas personas sua quomodolibet interesse putantes, quatenus infra terminum certum & competentem, in eodem edicto præfixum comparere debuissent coram nobis & in dicta nostra Curia, ad dicendum, opponendum, & allegandum quicquid voluissent tam contra personam præsentatam, quàm præsentantes, quare dicta institutio fieri debuisset. Quo edicto affixo, & postmodum eleuato, accusatisque debitis contumaciis, & quia ex quibusdam scripturis, & aliis iuribus productis, & præsentatis, existentibus penes infra scriptum actuarium clarè constitit, & constat, de vacatione, & præsentatione prædictis, & quòd R. N. præsentans fuit, erat, & est verus eiusdem Parochialis patronus, & existere in pacifica possessione, seu quasi ius patronatus, & præsentandi in Rectorem. Idcirco eundem R. N. per examinatores in Synodo diocæsana deputatos examinatum, & approbatum, tanquam habilem, idoneum, & sufficientem, instituendum, & confirmandum duximus, prout ipsum tenore præsentium institutum, & confirmatum, de illaque te coram nobis propter hoc, flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per birreti capiti tuo impositionem inuestimus. Quocirca vniuersis, & singulis personis Ecclesiasticis, Notariisque, ac Tabellionibus publicis ciuitatis, ac diocesis nostræ in virtute sanctæ obediencie, ac sub pœnis, & censuris contra inobedientes Superiorum mandatis à iure inflictis, & arbitrio nostro infligendis, per præsentantes præcipimus, & mandamus, vt cum pro parte tua vigore præsentium requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, ad ipsam Parochialem Ecclesiam præfati loci accedant, tæque vel Procuratorem tuum pro te in corporalem, realem & actualem possessionem prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi forsan annexorum iurium, ac pertinentiarum prædictorum, seruatis seruandis, inducant auctoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem nos etiam harum serie amouemus, & denunciamus amotum. Fictilibus verò, colonis, & aliis arrendatariis, de prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi annexorum, iuriumque, & pertinentiarum prædictarum fructibus, redditibus, prouentibus iuribus, & obuentibus vniuersis tibi, vel procuratori tuo legitimè debito tempore respondeant, atque ab aliis quantum in se fuerit, responderi faciant. *Et si contigerit cum, cui de beneficio providetur, aliud incompatible obtinere, addatur.* Volumus autem, ac præsentium tenore declaramus, per huiusmodi Parochialis pacificæ possessionis ad-

apriorem,

ptionem, alteram Parochialem Ecclesiam loci N. vel Canonatum, ac praeendam, quos obtines in Cathedrali Ecclesia N. eo ipso vacare, &c. In quorum fidem praesentes manu nostra signatas, & per infra scriptum Camerae Archiepiscopalis Notarium subscriptas, sigillique nostri appensione munitas fieri iussimus. Dat. Bracharae Augustae, &c.

FORMULA X.

Literarum collationis Ecclesiae Parochialis.

DRodericus, &c. Dilecto nobis in CHRISTO N. Presbytero Bracharensi, Salutem in Domino. Inter caetera, quae pro Pastoralis nostri officij debito praestare cupimus, illud praecipue nobis cordi est, ut Parochialibus Ecclesiis, quibus de Rectoribus per nos providendum est, tales praeficiamus, qui officio, & ministerio curae animarum, quod omnium grauissimum est, laudabiliter satisficiant. Vacante igitur nuper de mense Februarii proxime praeterito nobis Alternatiua beneficio gaudentibus Parochiali Ecclesia, Abbatia nuncupata, sub inuocatione Sancti N. oppidi N. huius Bracharensis diocesis per obitum N. illius dum viueret ultimi possessoris, fuerunt per Curiam nostram mediantibus edictalibus iuxta formam, & praescriptum S. Concilij Trident. & constitutionis felicitis record. Pij Papae V. vocati omnes de sic vacante Ecclesia providendi volentes, quatenus intra terminum decem dierum comparerent in eadem Curia ad faciendum describi, & annotari nomina ipsorum, & cum in eodem termino multi comparuissent, tandem iisdem descriptis, legitime vocatis, & citatis sub die... coram nobis riguroso prauius examine per tres examinatores in Dioecessana Synodo deputatos, facta fuit experientia de scientia, & sufficientia singulorum descriptorum, ac demum seruatis de iure seruandis fuisti per dictos tres examinatores repertus, habitus, & existimatus idoneus, vita, moribus, aetate, scientia, & aliis a iure requisitis, & ut talis ad hanc Parochialem Ecclesiam regendam eiusque curam per te ipsum gerendam nobis ab eisdem renunciatus fuisti, & successiue a nobis post examen, & approbationem praedictam magis idoneus reputatus, & iudicatus. Nos igitur eidem Ecclesiae, ac animabus illi subditis de idoneo Rectore providere volentes, tibi, quem praeter caeteris summo cum iudicio delegimus, Parochialem eandem cum illis forsitan annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentiis suis vniuersis conferimus, & assignamus, de illaque te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per bir-

reti capiti tuo impositionem inuestimus. Quocirca vniuersis, &c. *ut in form. 9.*

A L I A.

NOs N. &c. dilecto, &c. Salutem, &c. Cum Parochialis Ecclesia S. N. per obitum (vel alio modo) N. illius ultimi possessoris vacauerit, & vacet ad praesens, & nos ut iuxta S. Concilij Trident. decreta praedictam Parochialem de Rectore provideremus, edictum de eius vacatione affigi mandauerimus, tuque & alij oppositores coram nostro Vicario generali, & examinatore Synodalibus ad id deputatis comparentes cum illorum oppositorum concursu diligenter examinatus ab eisdem examinatore in doctrina, & scientia nobis idoneus renunciatus, aetate vero, moribus, & vita, aliisque qualitatibus ad dictam Parochialem Ecclesiam regendam, & obtinendam necessariis, magis idoneus, & sufficiens caeteris aliis oppositoribus a nobis iudicatus, & approbatus fueris. Idecirco praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, Parochialem Ecclesiam praefatam de sancto N. sic, ut praefertur, vacantem, cum omnibus iuribus, pertinentiis suis tibi auctoritate nostra ordinaria conferimus, & de illa etiam providemus, teque in eiusdem corporalem & actuaalem possessionem, vel quasi ponimus, & inducimus, dummodo prius, & ante adeptam huiusmodi Parochialis possessionem iuramentum, & professionem Fidei, quae in talibus iuxta dicti sancti Concilij formam praestari solent, coram praefato nostro Vicario generali praestare tenearis, & actu praestes, & de eisdem testimonium authenticum a tergo huius collationis reponi facias; alias huiusmodi collatio nulla sit, nulliusque roboris, & momenti censeatur. Quocirca vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Vicariis, Rectoribus, Clericis, Capellanis, Notariis, & Tabellionibus publicis, quibuscumque per hanc nostram diocesim constitutis in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis poena tenore praesentium praecipimus, quatenus infra trium dierum spatium ipsi, vel eorum alter, qui super hoc fuerit requisitus, ad dictam Parochialem Ecclesiam accedant, seu alter eorum accedat, ac te, vel Procuratorem tuum tuo nomine in corporalem, realem, & actuaalem possessionem Parochialis Ecclesiae, iurium, & pertinentium praedictorum inducant, auctoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac tibi de illius fructibus, redditibus, & prouentibus, iuribus, & obventionibus vniuersis respondeant, & responderi faciant, contradictores auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam compescendo. In quorum, &c.

FORMVLA XI.

*Collationis Parochialis vacantis per
assequutionem, seu ingressum Re-
ligionis, aut contractum Matri-
monij.*

DRodericus, &c. Dilecto nobis in CHRIS-
TO N. Presbytero Bracharenfi, Salu-
tem in Domino sempiternam. Cum itaque
Parochialis Ecclesia Sancti N. loci N. huius
nostrae diocesis, ex eo vacauerit, & vacet ad
praesens, quod dilectus noster nuper dictam
Ecclesiam Parochialem obtinens Ecclesiam
similem Parochialem Sancti N. etiam nostrae
diocesis, tunc certo modo vacantem per nos
sibi collatam auctoritate nostra ordinaria pa-
cifice assequutus extitit. Nos eidem Ecclesiae
per assequutionem huiusmodi, vel alias quo-
modolibet vacanti de idoneo Rectore proui-
dere volentes, tibi qui à RR. Patribus exami-
natoribus in Synodo dioecisana deputatis in
concurfu iuxta sacri Concilij, & Constitutio-
nis felicitis record. Pij Papae V. praescriptum exa-
minatus, prudentia, moribus, aetate, & do-
ctrina ad hanc Parochialem Ecclesiam regen-
dam, eiusque curam per te ipsum gerendam
idoneus nobis renunciatus fuisti, & quem
nos ipsi praeter ceteris, qui ad eandem nobis re-
nunciati fuerunt, delegimus, Parochialem
eandem Ecclesiam cum illi forsan annexis, ac
omnibus iuribus, & pertinentiis suis vniuer-
sis conferimus, & assignamus, de illaque te co-
ram nobis propter hoc flexis genibus humili-
ter constitutum, & acceptantem per birreti
capiti tuo impositionem inuestimus. Quocir-
ca, &c. *ut supra form. 9. Vel si vacat per ingres-
sum Religionis, dicatur.* Cum itaque Parochialis
Ecclesia Sancti N. loci N. nostrae diocesis va-
cauerit, & vacet ad praesens ex eo quod nu-
per dilectus noster N. illam obtinens deuotio-
nis zelo ductus Monasterium S. N. Ordinis
S. Francisci situm in oppido Vimaratenfi huius
diocesis ingressus est, expressa professione
eiusdem Ordinis subsequuta. *Vel si vacat per
contractum Matrimonij, sic dicitur.* Cum itaq;
Parochialis Ecclesia Sancti N. huius nostrae
diocesis vacauerit, & vacet ad praesens, ex eo
quod dilectus noster N. illam obtinens Ma-
trimonium per verba de praesentis cum
quadam muliere legitime contra-
xit, atque illud carnali copu-
la subsequuta consum-
mauit. Nos ei-
dem, &c.

FORMVLA XII.

*Inductionis in possessionem Parochia-
lis collata auctoritate ordinaria
per executores.*

IN nomine Domini, Amen. Anno à natiui-
tate Domini nostri Iesu Christi M. DC.
XXXI. Indict. 14. die verò mens.
Pontificatus S. D. N. D. Urbani Papae VIII.
Anno octauo, in mei Notarij, &c. constitutus
illustris, & R. D. N. Presbyter, & Rector,
Abbas nuncupatus Parochialis Ecclesiae San-
cti N. habens, & tenens in suis manibus quas-
dam collationis, & prouisionis de dicta Pa-
rochiali Ecclesia sibi factarum patentes literas
per Illustriss. & Reuerendissimum D. Rode-
ricum à Cunha Dei, & Apostolicæ Sedis gra-
tia Archiepiscopum, & Dominum Brachara,
Hispaniarumque Primatem eidem concessas,
ipsiusque Illustriss. D. sigillo cera rubea alba
circumdata, impressio cum cordula fili rubei
impenden. sigillatas sub Anno, Indict. & Pon-
tificatu praedictis, ac die illas R. D. N. Ca-
nonico N. executori vnico in eisdem literis
collationis, & prouisionis specialiter deputato
praesenti, & recipienti ad manus, realiter tra-
didit, eumque vigore, & auctoritate earum-
dem literarum, vt se in corporalem, realem, &
actuale possessionem dictae Parochialis Ec-
clesiae (de qua sibi certo modo tunc vacantem
fuit per praefatum Illustrissimum D. prouisum,
prout in eisdem literis continetur) iurium, &
pertinentiarum ipsius poneret, & induceret
iuxta illarum formam, & tenorem debite re-
quisiuit. Qui quidem D. N. Commissarius, &
executor praefatus, receptis primò praedictis
Illustrissimi Domini cum honore, & reueren-
tia, quibus decet, literis, attendens requisitio-
nem huiusmodi esse iustam, & consonam ra-
tioni, vt & tanquam verus obedientiae filius
dictum D. N. in corporalem, realem, & actua-
lem possessionem Parochialis Ecclesiae, iurium-
que, & pertinentiarum praedictorum per tra-
ditionem, tactum, & palpationem clauus, &
annuli, atque introitum ad Altare, & pulsatio-
nem campanarum eiusdem Ecclesiae nemine
contradicente posuit, & induxit. Et nihilomi-
nus omnibus, & singulis ipsius Ecclesiae vtriuf-
que sexus Parochianis, vt dictum D. N. tan-
quam vero Rectori ipsius Ecclesiae, vel eius
legitimo Procuratori de fructibus, redditibus,
& prouentibus dictae Ecclesiae suis loco, & tem-
pore congruis, & opportunis responderet,
praecipit, & mandauit. De & super quibus,
&c.

FORMVLA

FORMVLA XIII.

Inductionis in possessionem Parochialis per Notarium.

IN nomine Domini, Amen, &c. In mei Notarij publici, &c. constitutus R. D. N. Rector Abbas nuncupatus Parochialis Ecclesiæ Sancti N. tenens in suis manibus quasdam patentes literas sigillo Illustrissimi D. Don Roderici à Cunha, Archiepiscopi, ac Domini Bracharæ, Hispaniarumque Primatis cera viridi figillatas, & aliàs debite roboratas super collatione, & prouisione dictæ Parochialis Ecclesiæ vice, & auctoritate ipsius Illustriss. D. factas præfato N. de dicta Parochiali Ecclesiâ confectas, me Notarium publicum infra scriptum debita cum instantia requisivit quatenus vigore, & auctoritate literarum prædictarum, ac mandati per eas mihi facti ponerem, & inducerem in corporalem, realem, & actua-lem possessionem dictæ Parochialis Ecclesiæ cum suis iuribus, & pertinentiis vniuersis. Ego verò Notarius prædictus, vt præmittitur, requisitus in vim mandati ex parte Illustrissimi D. præfati in hac parte mihi facti volens, & cupiens obedenter parere, præfatum D. N. in corporalem, realem, & actua-lem possessionem prædictæ Parochialis Ecclesiæ Sancti N. iuriumque, & pertinentium prædictorum per ingressum maioris portæ siue ianuæ dictæ Ecclesiæ, tactu annuli eiusdem, & per tactum cordarum Campanarum, & Missalis, Calicis, & Ornamentorum, clauium Sacrarum, & fontis Baptismalis dictæ Ecclesiæ, & subsequenter per accessum domus Presbyteralis eiusdem Ecclesiæ, & per tactum vectis anterioris portæ, & per introitum dictarum domorum nomine contradicente, in Dei nomine posui, & induxi. Super quibus, &c. Actum, &c. Præsentibus, &c.

CAPVT III.

De grauitate formidandi oneris, quod Parochorum humeris imponitur, dum illis animarum cura committitur.

SUMMARIVM.

1. Animarum curam gerere nihil aliud est quam illarum esse necessariò quidem laborantem, & sollicitum.
2. Parocho ducis nomen, & officium conuenit.
3. Dux viatorum, qui ad Dei Regnum per iter arduum contendunt, est Parochus.
4. Agrotantium multorum medicus est Parochus.

5. Nanius gubernatoris nomen, & munus Parocho conuenit.
6. Iudex spiritualis est Parochus.
7. Parochus antequam munus pascendi animas suscipiat, accuratè consideret quanti Deus illas fecerit.
8. Peccata aliena Parocho damnationis causa erant si vt verus Pastor oues suas non curauerit, aut ipsa eius negligentia, & incuria perierint.
9. Parochus Dei honorem, & lucra animarum, non bona fugacia querere tenetur.
10. Anima vnius dignitas magna est.
11. Anima Deo gratissima sunt, & earum lucrum gratissimum.
12. Premium maximum, & eximium propositum est illis, qui animas à diabolo ad Deum, à vitio ad virtutem traducunt.
13. Ratio accurata, & exacta exigenda erit ab ijs, quibus animarum cura commissa est.
14. Curatores salutis animarum ardentes, & seduli maxima gloria, & honore in iudicio ornabuntur.
15. Negligentes animarum curatores grauissimas Deo daturi sunt penas.



Nihil aliud omnino est animarum curam gerere ei, qui rem exactè perpenderit, quam illarum Pastorem esse, necessariò quidem laborantem, & sollicitum, quam ipsos de suis ouibus Pastores, quo omni æstimatione pretiosiores sunt vix, quam altera. Hoc planè ex ore Christi Domini accepimus, qui quidem cum animarum nostrarum Prouinciã primo, & præcepto Ecclesiæ Pastori Petro commendaret, eas sæpè oues dixit, atque vt tales illi pascendas demandauit. Quin etiam apud Ezechielem huiusmodi Pastorem plerumque nuncupat, & apud sacras Canonum institutiones, eius, qui Pastoris spiritualis partes suscepit, Pastorale Officium vocatur. Caueat igitur Parochus ne hoc nomen in Episcopis, ac ceteris Superioribus præcipuum esse cernens sibi conuenire existimet: imò ipsa præcipue veritas proximum animarum Pastorem quemquam esse, cui Parochiæ suæ proximè adhæret cura.

Nec satis est Parocho se hominum Pastorem intueri, sed alia ex parte illorum quoque ducem, & præfectum considerare oportet. Ipse eiusmodi dux armorum vi calum expugnaturus præuius factus suos monere, & hortari, ac docere industriam milites ed animosius, & ardentius ad pugnam debet, quò aduersarij, qui aditum impediunt, fortiores sunt, & in vincendo callidiore. Quod autem hoc Ducis nomen, & Officium Parocho conueniat, inficias iri non potest, qui, vt docet, vitam hominum, ceu lobus ait, militam esse fateatur.